



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. De maleficio ejusque dissolutione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

veni, expunctumque propter nostram rationem merito crediti. An semel aut iterum propter necessitatem infirmi possit id terrari. quod dubia sit superstitio, propter dicta n. 71. vel quasi sit parvas in se propter allata n. 49. decernant docti, & timorati.

78. De Channabaceo filo à Virgine deducto, de quo dicitur n. 38. quid sentiendum satis innuimus n. 67.

79. Filium adhibere ad horas distinguendas, eo modo, quo vidimus n. 39. superstitiosum mihi videtur, & vanum, non tamen solum veniale sit semel aut iterum ex vanitate, vel curiositate, id experiri velle ut etiam annuli mortui, de quo n. 49. semel eadem curiositate velle cognoscere, collige ex dictis num. eodem. 49. Certè velle experiri ex ioco quid accidat, si filum cum annulo adhibetur ad horas signandas; esse veniale docet P. Vincenz. Tancredi 1. tom. de Rel. tr. 2. lib. 2. d. 4. n. 14. afferente Sanch. cap. 9. n. 11. Sanch. Bonac.

Vnum de hoc filo advertas velim: nam Baldelli t. 2. diff. mor. diff. 12. n. 2. sic loquitur: Ad hanc Hydromantiam reducitur ex Delrio lib. 4. cap. 2. q. 6. sect. 2. Si quis per annulum de filo suspensum, & intra aquam immittit, inen- das cognoscere, quæ sit hora, ipso annulo certis ictibus ex se pulsante latera vasis. Hactenus Baldelli. Addeamus autem Delrium, is certè loco citato hæc habet verba: Vna species Hydromantie fiebat per annulum de filo suspensum in aqua, & vasis latera constans ictibus pulsantem. Hæc Delrius. Adverte igitur aliud esse hoc quod de ho- ris, per filum cognoscendis huic explicimus, & aliud quod Delrius promittit, quæ duo summi confodiri videntur Baldelli. Probat: Primò, ex verbis utriusque inter se collatis. Secundo, quia ea superstitio fili ab utroque his authoribus vocatur, & Hydromantia, id est, Divinatio per aquam, & sit in vale, in quo sit aqua: at in casu nostro nulla adest, nec a desse debet aqua, ut ego meis oculis pluries aspexi. Tercio, nec in eodem in nostro debet necessariò esse annulus suspensus ex filo, cum satis sit quolibet grave filo, ferreo, vel simili proportionatum: nec annulus debet in aquam immitti, quæ videtur requiri à Delrio. Quarto, quia noster casus solum est ad distinguendas horas diei vel noctis: cum superstitio à Delrio descripta videatur esse absoluta, atque adeò ad alios item fines.

Rursus idem Baldelli ibid. d. 1. §. n. 6. sic habet: Si quis annulum filo appensum digitis teneat intra aliquod vas, & promittit certum aliquem versiculam Psalmi; ad hæc, ut annulus ex se moveatur ad latera vasis, & eorum ictuum numero dei horam diei, ideo est superstitio, quia verba sacra adhibentur ad effectum vanum, qualis est: motus annuli, & hora pulsatio. Hactenus ille: Qui adhuc nostrum casum vel non tangit, vel ejus plenam notitiam non habuit ut signatè tangeret. Nam in casu nostro nullus Psalmi versiculus usurpatur, ut ego sicut dixi, sæpius vidi. Verum hæc pro curiosis innuisse sit satis.

80. Verba sacra pro lattatu canum, proque effloente sanguine, quorum mentio facta est n. 40. & n. 41. & pro morborum expulsiõe quibus n. 42. amota certa expetitione, & vanis, si forte adsint, caeremoniis, esse licita, colligi potest ex n. 45. & 48.

§. II. De Maleficio, ejusque dissolutione.

1. Maleficium five amatorium, quo Malefici utuntur ad seducendos animos ad amorem, siue venustum; quo iidem utuntur ad occidendum, ad inferendum morbum, ad bona temporalia adipiscenda, &c. est vis ac potestas nocendi aliis ex pacto expresso, vel tacito cum dæmone; Hoc reducuntur peccata Lamia- rum seu Strigum, quæ Latine Sage nuncupantur, quæque duo potissimum querunt; delectationes nimirum turpes ex commistione cum dæmonibus, & damna in aliis, &c. Quoad hæc porro vide Authores, Sylvest. Malef. Tolet. lib. 4. cap. 16. Azor. 1. part. lib. 9. cap. 25. & 26. Val. 2. 2. diff. 6. quæst. 13. p. 4. Sanch. lib. 2. in Dec. Pars I.

cap. 42. & lib. 7. de matrim. diff. 95. Suarez, Delrio, aliòsque ab iisdem cit. nobis enim satis sit tria vel quatuor hic adnotasse.

2. Primò quando occurrit deferri à poenitente peccatum maleficij, duo examinare Confessarius debet: Alterum, an præter maleficium, exercitum fuerit actuale commensum per expressum pactum cum dæmone; esset enim tunc duplex peccatum, ut supra, §. 1. n. 10. innui. Pari modo multiplex esset, ac signatè confitendum, si addita fuissent aliæ peccatorum species: hæresis, v. g. vel idololatia externa, vel sacrilegium, vel fornicatio, &c. Alterum est, an intulerit damnum suo beneficio Maleficius; esset enim juxta regulas restitutionis omnia damna resarcienda, ut ex se constat.

3. Secundo: Celebris est quæstio, an sit peccatum uti opera Malefici ad maleficia dissolvenda. Equidem directè petere à Malefico etiam parato, ut maleficium maleficio dissolvat, certum est esse peccatum, cum sit cooperatio ad id, quod est intrinsecè malum, id est, ad maleficium exercendum, & quamvis petitio fiat, ut sanitati restituatur maleficio affectus, adhuc tamen peccatum est, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

4. Dico (opera Maleficij) nam si nesciam illum esse Maleficum seu Magum, non debco illum ut Magum reputare, sed solum obligor ad inquirenda illa, quæ adhibet, an sint superstitiosa? Quod si is ea nolit declarare, erit ab illis abstinendum, ut potè suspectis de superstitione, multò magis si non sit vir doctus & pius, qui possit judicare remediis licitis uti.

5. Difficultas ergo est, si petam, ut maleficium dissolvat, non petendo: ut id faciat per aliud maleficium, an licitè petam? Respondeo. Certè si petam, ut dissolvat solum tollendo signum maleficij, vel illud destruendo, sciam me illum sic acturum, nec alio maleficio usurum, esse licitum omnes fatemur, quia tunc res licita petitur, quam quilibet posset facere sine culpa, idque non sit convivere dæmoni, sed potius ejus signa, ejusque pacta destruere.

6. Rursus, si petam absolute, ut dissolvat, sciam autem ipsum non posse dissolvere, nisi aliud maleficium moliendo, quia alium modum non habet, me mortaliter peccare certum est: quia tunc directè maleficium, quod est intrinsecè malum, exposcerem: At si petam absolute, ut dissolvat, sciens cum posse dissolvere sine maleficio, & posse cum maleficio, at sciam ipsum sine maleficio dissoluturum, sane propter rationem modò dictam n. 5. licitè petam.

7. Quod si absolute petam, ut dissolvat, sciens ipsum posse dissolvere cum maleficio, & posse sine maleficio, putans tamen, inò certò sciens ipsum cum novo maleficio dissoluturum, major est, & multum celebris controversia, num licitè possim petere? Dico tamen esse saltem probabile, & tutum licitè posse. Ita Sanch. dictu diff. 95. de matrim. n. 12. & dicto c. 42. in dec. num. 13. & novissimè Baldi alios citans diff. de conf. cap. 2. §. 20. n. 6. Ratio est, quia tunc ego peto, quod is licitè facere potest: ipsi ergo imputetur, si eligat quod illicitum est: Quod si mea licita petitio est occasio, ut ipse peccet, sibi imputet: nam me summa necessitas avergendi à no, vel à proximo maleficio excusat à cooperatione, quæ fortasse ibi esse videtur. Solet afferri paritas de usurario & infideli: licet enim possim ab his petere mutuam, & juramentum, licet sciam eos peccaturos accipiendo usuram, & jurando per falsos deos, quia ego rem bonam vel indifferentem peto: non enim peto ut juret, v. g. Gentilis per falsos deos, hoc enim planè esset peccatum, quia directè poscerem juramentum per se malum, sed peto solum, ut juret, id quod ipse potest bene præstare jurando per verum Deum: ni præstet, ipsi imputetur; me enim à coopératione peccati, quod videtur hic adesse, excusat necessitas firmitatis contractus incursum infideli, sicuti in casu mutui, necessitas, quam patior pecuniæ.

8. Inqui

8. Inquires primò, quando ego exposco ut maleficium quis dissolvat, ac mihi medeatur, cum possit sine novo maleficio, si accidit, ut ipse velit exercere in mea persona, vel in meo equo, v. g. praesente me aliquas superstitiones, possumne permittere? Respondeo cum Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. cap. 18. num. 10. sive Lessius lib. 2. cap. 44. num. 46. non posse, quia tunc positive cooperari ad superstitionem illam, quae ad se fit; quod non est, cum maleficus sine te superstitiones adhibet, cum possit non adhibere.

9. Inquires secundò: cum debeamus (ut licita sit nostra petitio) cognoscere quid Maleficus possit sine novo maleficio morbum depellere, qualisnam esse debet ejusmodi cognitio? Respondeo, moralis, vel certe probabilis; si enim mihi probabile est, ipsum habere opus maleficium dissolvendi sine peccato, satis est, ut ego petendo non peccem; cum probabilitate enim operari, est operari cum prudentia; ut in superioribus nimis saepe docuimus.

10. At sufficitne dubitare? dubito, v. g. negativè, an maleficus modum licitum habet dissolvendi maleficium, possumne licitè ab eo dissolutionem petere?

Respondeo: Credo scire aliquando posse, quia non raro praesumere mihi intercom est, ex communiter contingentibus, à maleficio non dum licitum non ignorari; Communis enim modus est signum demonis dissolvere, in quo dissolvendo, non est necesse, ut interveniat novum maleficium. Neque contrarij sunt Doctores, Suarez. Less. Sanch. apud Castro Pal. tom. 3. tract. 17. disp. 1. de superstit. p. 12. n. 2. & apud Bardi ibid. n. 7. dum in hac re communi calculo sentiunt, in dubio praesumendum esse maleficium per novum maleficium, maleficium dissolvere, cum semel malus semper praesumatur malus, ex regulis juris in 6. Non sunt, inquam, contrarij; nam statim addunt, nisi dubium vincatur: Cum ergo vincat aliquando possit, ut dictum est, Doctores adversus hanc resolutionem nequaquam stent; Fateor tamen multa prudentia, in tanto dubio, parique cautela opus esse. De hac re satis benignè loquitur Lessius lib. 2. cap. 44. n. 46. illi verbis allatis §. 1. num. 72. ex quibus praesentem doctrinam confirmari posse alicui videbitur: *Non est inquit licitum uti remedio superstitioso, aut de quo dubium est, an contineat tactam demonis invocationem; hoc enim est se exponere manifesto periculo superstitionis, nisi forte id fiat cum expressa voluntatis contraria protestatione.*

11. Dices, qui petit à maleficio dissolutionem modo quantumvis licito; consulit maleficum: At consilium maleficis est per se malum, & in sacris litteris prohibitum: ergo saltem ex hoc capite grave peccatum. Ita P. Antonius Marfilus Vir doctus Socius Iesu Lector Casuum conscientiae in Rom. Collegio in manuscript. super Dec. tract. 4. cap. 1. fin.

Respondeo, consulere maleficos, ut tales, certè est prohibitum: at non ut tales, sed ut scientes bonis artibus maleficium tollere, prohibitum non est: scilicet nec possent legitimum medicamentum, & bonas scientias addiscere ab eo, qui hac à demone habuit; quamvis enim ipse, quando habuit, peccavit ex pravo commercio cum communi hoste, non pecco tamen ego, immò nec ipse, cum iis naturalibus medicinis, scientiaque bona, ad bonum finem utimur, ut Theologi probatissimi, Suarez. Delrio, Val. Sanch. Viç. apud Castro Pal. l. c. 11. nu. 1. docent; non enim tunc consulimus maleficos, ut tales, sicut dictum est, sed, ut viros doctos & expertos, nec nisi res ex se bonas tunc usurpamus: Ex eadem ratione possum uti equo, v. g. meo invento per artem magicam, & frui sanitate per eandem acquisita, immò & pecuniam retinere à demone fortè habitam (modò non confiter moraliter fuisse ab aliquo ablatam, tunc enim esset Domino restituenda) & similia, nam quamvis graviter peccaverim in illis à demone obtinendis, non tamen postea illis rebus ex sese bonis utendo, peccatum committo: ut nec committit meretrix dum retinet, fruiturque pecunia illicitè ex suo peccato comparata.

12. Mihi puero narravit quidam (fabella, ne ad puerorum animos aucupandos inventa; an vera res fuerit, ignoro) quendam thesaurum magicis artibus tetra noctu infodisse, hac habita cum demone conventione, ut hominum nemini thesaurum patere posset, nisi ei, qui in ipso thesauro loto existeret bonae pulvis pingui patina recrearet; vinumque biberet liberaliter: inaudisse quendam rusticum non longe ab illo loco fortè decumbentem manè pectem comedisse vinum hilariter obibisse, thesaurumque sibi, nullo repugnante, arripuisse. Quo dolore avari senis, qui non multò post ad locum inviscendum se contulit, aurumque exspectatum reperit, verbis explicet qui potest, jam inquiri, an sine peccato potuit rusticus hoc signum apponere? Respondeo, potuisse, quid id non fuit nisi contrarium signum apponere quo posito demon promissit non amplius thesaurum custodire: quando enim tale signum apponendum bonum est ex se, vel indifferens, apponi licitè potest, cum apponatur medium ad dissolvendum confederationem demonis, qui finis bonus est. Ita Less. Sanch. apud Castro Pal. l. c. num. 10. Idem ergo, & multò magis dicendum erit ad hunc sanitatis consequendum. An is rusticus potuerit sibi thesaurum retinere, dependet ex ea quaestione: utrum thesaurus, cujus Dominus scitur, solum ex eo quod tetra se infodisset ad nullum certè usum, reputetur non esse sub alicujus dominio, sed esse primi occupantis. De qua re suo loco alibi.

13. Quare quando Iudices pilos radunt, vel lavant maleficos tangendos, ne ij insensibiles sint ad tormenta, non solum id licitè faciunt, ut tollant signum demonis fortasse sub pilis, vel in unctione corporis latens (quod communis Doctorum explicatio) sed etiam, quia potuit evenire pactum cum demone fuisse, ut ad tonsionem pilorum, vel lotionem corporis cessaret conventio. Ex dictis colligere poteris non solum tertium aliquem, sed ipsum etiam Magnum posse immò & debere sive destruire signum, sive positive ponere signum contrarium pacto, quo scilicet posito, (sed sine novo maleficio) definit nocere demon. Sicut enim (ait Less. lib. 2. cap. 4. num. 43.) Maleficus, qui Diabolum invocat verbis, vel scriptis, ut nocet cuiquam, tenetur cessare ab ista invocatione, non solum quia superstitiosa, sed etiam quia noxia, ita quod teneatur signa posita, quibus illicite ad nocendum, tollere, si aliter nocumentum impediri nequit.

Dixi (sed sine novo maleficio) nam propterea illa signa contraria, fortè debent poni, solum possunt, esse, vel bona, vel indifferentia, Venesicium, v. g. sit hujusmodi. Si Venesica te tangat, tu morbo inficeris, & paulatim tabesces, atque illarum repercutias, impediatur morbus. Dico, te posse repercutere, quia repercutio est res indifferens, nec enim repercutio est novum maleficium.

Id enim clarè docet Sanchez lib. 2. sim. cap. 41. n. 23. Tandem, inquit, licet etiam signum positivum contrarium apponere, dummodo sit ex se licitum, aut indifferens ad pactum illud cum demone initum, rescindendum, v. g. si demon esset pactus cum maleficio se nociturum, nisi maleficiatus postea se signet cruce, aut lavet corpus, licet huic se signare, aut lavare non intentione sanandi positive eo medio, aut opera demonis, sed solo animo tollendi signi, & pacti nocendi dissolvendi. Hæc Sanchez citans Suarez, Lessium, Sylvestrum, Delrio.

Obijcies primò Lessius loc. cit. n. 48. docet, posse tolli, vel poni dicta signa ad hoc, ut cesset nocere demon, non verò docet, posse, ad hoc ut demon positive det sanitatem: at in exemplo à nobis allato, potuit evenire, ut illa repercutio fieret signum non solum ne demon prosequeretur nocere, sed etiam, ut positive afferret sanitatem: ergo illam ego ponere non possum; directè enim tunc vellem sanitatem à demone positive illam conferente.

Respondeo. Huic objectioni sic disertè sati facit Cas-

lito Pal. 1. 3. 27. d. 11. n. 8. Negari non potest, (inquit) Maleficium destructionem illius signi ad unum si-
gnum dirigere (intellige ad desinendum nocere) & non
ad aliud (intellige, & non ad sanantem positivè con-
cedendum) concedo igitur (sic habet *num. 10.*) nemi-
ni licitum esse uti signis à dæmone datis eo fine, ut dæ-
mon excutatur ad fidem servandam, vel sanitatem con-
cedendam. At bene poterit illis signis uti, ut tollatur
dæmonis incentivum, quod habebat ad nocendum.
Quod autem demon destructo signo, non solum cesset
nocere, sed etiam concedatur salutem, per accidens est
intentionis desinens signum, non enim destruens si-
gnum illam sanitatem consequi, destructione pretendi-
tione Castrop. quæ est ipsissima doctrina Sanchez modo
allata.

Obsecundò. Esto illa positio signi contrarij sit
posita, ut eo signo posito, demon desinat nocere. At po-
tè evenire, ut ea positio signi non sit solum pacti prio-
ris destructio, sed sit novum pactum, ob quod demon
nocere desinat, ergo tunc esset novum maleficium.

Respondio. Novum pactum non potest in-
ter nova consensione duorum, atque adeo nisi destruens si-
gnum consentiat. At ipse nullatenus consentit, solum
enim intendit prioris pacti dissolutionem, & nihil præ-
terea. Adde primò, non consensisse dæmonem, pro
nova pacificanda conventionem, rem bonam, imò nec re-
gulariter rem ex se indifferentem adhibere, semper enim
aliquid vani saltem admiscet.

Adde secundò. Cum mihi non constet, hoc esse no-
vum pactum (pactum enim non destruitur novo pacto,
sed solum recedendo, ab ipso) cum non constet, in-
quom, hoc esse novum pactum, ad summam dubia res
est, quare querendum restaret, quid in dubio hoc fa-
ciendum esset: Id quod jam subdo.

Inquires enim. Licet bene ponere ejusmodi contra-
rium signum, quando omnibus expensis dubium est,
an talis signi positio sit maleficium, atque adeo novum
pactum? Lavare enim se, ex Sanchez citato; vel reper-
cutere, ex Lessio cit. clarè non sunt maleficia. Sed quid,
si sit, v.g. lavare se cum aqua benedicta, vel dicendo
quædam verba, de quibus dubitetur, an sint vana, unde
dubitetur, an illa locutio, vel percussio sit novum malefi-
cium?

Respondio, Lessius *loc. cit.* inclinat, licere, sed cum
protestatione non consentienti pactum fortè nova. Si
licet, inquit, non licet, si res sit dubia, non enim licet
est uti remedio superstitioso, aut de quo dubium est, an
contineat tacitam dæmonis invocationem, hoc enim
est, se exponere manifeste periculo superstitutionis; nisi
forte id fiat cum expressa voluntate, contra tunc protesta-
tione. Hæc Lessius.

Verum absolute nunquam licere, docet Sanchez, *loc. cit.*
his verbis: *Addit Lessius, si dubium sit, an id signum sit superstitiosum, non licere, nisi forte præmissa contraria voluntate protestatione. Sed nec hoc modo audeo id approbare.* Hæc Sanchez. dumtaxat; ubi vides nullam hic ab ipso rationem afferri, unde illud non approbet. Afferre tamen Castrop. *loc. cit. num. 10.* qui hanc sententiam Sanchez adheret, & sic habet: Bene advertit Sanchez, si dubium sit, an medium, quod assumitur superstitiosum, aut illi-
citurum sit (quousque dubium deponas) te non posse illo uti,
quatenusque protestaris nolle ullam cum dæmone socie-
tatem habere, quia hac protestatio non vincit dubium,
neque purgat malitiam, quæ in illo esse potest. Hactenus
ille.

Ego in praxi sententiam Lessij libens amplecterer. Et
ratio esse posset, quia semper in eo dubium est caput, unde
dubium deponere facile queam, quæ dispositione habi-
ta, concedit ipse Castrop. Palas. Nam quando est dubium,
an hæc res, quæ adhibenda est, sit superstitio, necne, ju-
dicandum practice est, non esse superstitutionem, quia prius
est, rem esse indifferentem, imò, & bonam ex se, &
deinde est, seu supervenit, esse malam ex pacto cum dæ-
mone; ergo donec ostendas, supervenisse pactum, sem-

per possidebit indifferentia, vel bonitas. Cum ergo ne-
mo possit, vel debeat deici à sua possessione per super-
veniens dubium, ut latè diximus *lib. 1. cap. 3. per totum*,
prævaleret in casu nostro negatio superstitutionis, atque
adeo deponetur dubium.

Dixi (implecterer) nam absolute tunc amplectar, quan-
do eam tute maturius expensa, sapiens lector excipies.

De penis contra prædictos, & quæ eorundem absolutione.

14. Contra divinatores, sortilegos, &c. si hæc sim
externa non committant, nullæ sunt penæ in jure la-
te, nisi fortè ferende: nam si superaddatur hæresis, erit
excommunicatio lata in Bulla Cœnæ, de qua suo loco
dictum est; penæ autem à Judicibus inferendæ ad no-
stram tractationem minus pertinent, de quibus nihilo-
minus lege Farinæ *num. de her. q. 181. à n. 51.* aliisque
ab ipso citatos.

15. Quoad absolutionem: si cum hæresi formali,
& externa, adjuncta sit culpa prædictorum, ille solus po-
test absolvere, qui potest hæresim, de quo *supra, cap. 1.*
§. 8. satis vidimus; Si hæresis intermissa non fuerit, qua-
libet adoratio dæmonis, pactum, commercium, su-
perstitio, & quodcumque aliud, quod hæresim forma-
lem externam non contineat, poterit absolvi à quolibet
ordinario Confessore, nisi tamen aliqua ex his in Dic-
tæsi sint ab Episcopo reservata: ita plures apud Dian. 1.
par. tract. 5. resol. 8. cum Bulla Cruciatæ, & sine illa *p. 3.*
tract. 4. resol. 143. vide etiam *part. 4. tract. 4. resol. 240.* De
abortu est quædam peculiaris dispositio, de qua dicam
lib. 2. cap. 2. §. 4. n. 8. Ratio est, quia, cum hæc omnia, licet
gravissima scelera, non subjaceant excommunicationi
latæ sententiæ, non sunt Summo Pontifici reservata,
huic enim nullum crimen regulariter reservatur, nisi ra-
tione excommunicationis, ut diximus in *nostro episc. de*
confess. lib. 3. c. 7. §. 1. n. 2. Nec sunt ex jure reservata Episcopo,
quia, ut *ibidem* diximus, nulli casus vel excom-
municationes sunt hodie Episcopo in jure reservatæ. Re-
manet igitur, ut nisi in aliquo loco peculiari reservatione
afficiantur, liberè possint ab ordinariis Confessoribus
remitti: multò magis virtute Bullæ Cruciatæ ita Diana,
l. c. & Escob. in summ. tract. 7. exam. 4. Spotsline Confess.
Nec obstat reservatio DD. Inquisitorum, nam hanc esse
solum pro externo foro habes apud Dianam, aliisque
apud ipsum.

§. III. De Sacrilegio.

1. Sacrilegium propriè est sacra rei læsio, seu viola-
tio. Ita S. Th. 2. 2. q. 99. art. 1. lege Suar. *tom. 1. de Rel.*
tr. 3. lib. 3. aliisque passim. Dico (propriè) nam frequen-
ter quælibet irreligiositas, hoc est, irreverentia contra
Deum, quæ est genus ad omnem culpam Religioni ge-
nericè sumptæ oppositam, dicitur sacrilegium: sic idolo-
latra, pactum cum dæmone, superstitio, & alia similia
peccata sacrilegialatè nominantur. Propriè igitur sacrile-
gium solum respicit rerum sacrarum violationem: Quæ
res sacræ, hoc est, ea omnia, quæ lege divina, vel Ec-
clesiastica ad cultum Dei sunt destinata, quæ ad tria
communiter reducuntur, nempe ad personas sacras, ad
locum sacrum, ad res sacras, idè triplex sacrilegij ge-
nus constituitur, quodlibet suas species continens, utque
specialiter in confessione aperiendas; cum teneamur, ut
diximus *lib. 2. Method. Confess. cap. 1. §. 9. n. 59.* confiteri ex
Tridentino singulas species, & singula numerò peccata.

Sacrilegium circa personas sacras: remissivè.

2. Personas sacras, hoc est, vel vitæ statu per vo-
tum, vel sacro Ordine Deo peculiariter destinatas, qua-
tuor modis, atque adeo quatuor speciebus sacrilegij,
offendere potes; Primò, per violentam manus injectio-
nem, de qua agitur, cum explicatur excommunicatio: Si
quis suadente. Secundò, per usurpationem jurisdictionem,
personas